



tuti, et tunc quaeritur: an quoque horum heredes aut qui pro filiofamilias mutuum contrahente fidejusserunt, hac exceptione Scti Macedoniani creditorem repellere possint agentem? De patre et heredibus ad unum fere omnes consentiunt DD. eisque ex praescripto legis o) hanc concedunt exceptionem, sed eam quoque fideiussori competere nonnulli negant, suamque sententiam argumentis stabilire putant. Quid ego de hac re cum magni nominis ICtis sententiam praesentibus exponam.

### §. VI.

#### Casus fingitur.

Ponamus: Cajus filiofamilias in scio patre a Titio petiit ducentos thaleros mutuos, Titius ipsi praevia Sempronii fideiussione pro hoc debito dedit, Cajus haud convertit in rem patris, sed expendit absque ratione. Determinato solutionis tempore Cajus non restituit mutuum et Titium agentem exceptione Scti Macedoniani repellit, qua etiam pater ipsius conventus utitur, quaeritur, utrum Titius hoc casu contra fideiussorem Sempronium cum effectu agere, an hic quoque exceptione Scti Macedoniani opposita a solutione se possit liberare? Et haec est thesis controversa quae hisce pertractatur plagellis.

### §. VII.

o) L. 7. §. 10. ff. h. e. ibi: quamquam autem non declaret Senatus, cui exceptionem det: tamen sciendum et heredem filii, si pater familias decesserit, et patrem eius, si filius familias decesserit, exceptione uti posse.